

non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissió-nem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre tēperat póculum; hæc et lavá-crum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat, quod Noe in látere arcæ óstium fácere jussus est, quo intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita, matér-que vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum præ-variaciónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dor-miéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto ságuine mún-dius? Quid vúlnerē isto salúbrius?

℞. Hic est qui venit per aquam et ságuinem, Je-sus Christus : * Non in aqua solum, sed in aqua et ságuine. ✠. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Je-rúsalem, in ablutió-nem peccatóris. — Non in aqua.

Lectio viij.

Tenebántur hómines captívi sub diábolo, et dæmónibus serviébant, sed redémpti sunt a capti-vitáte. Véndere enim se potuérunt, sed redímere non potuérunt. Venit Re-démptor, et dedit pré-tium : fudit ságuinem suum, et emit orbem ter-rárum. Quæritis quid émerit? Vidéte quid dede-rit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrátí sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt aut illud tam parum esse, ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit da-tum. Non ergo exsúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℞. Prædestinávit nos Deus in adoptiōnem filiō-rum per Jesum Christum, * In quo habémus redem-ptionem per ságuinem ejus. ✠. Remissió-nem pec-catórum secúndum diví-tias grátie ejus, quæ su-perabundávit in nobis. — In quo habémus. **Gloria Patri.** In quo habémus.

Lectio ix. de Homilia
Feriae. 255. Te Deum. 20.

AD LAUDES.

et per Horas, Añæ.

1. Hí qui amícti sunt * stolis albis, qui sunt, et unde venérunt?

Psalmi de Dominica. 21.

2. Hi sunt, * qui vené-runt de tribulatióne ma-gna, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

3. Ideo sunt * ante thro-num Dei, et sérvíunt ei die ac nocte.

4. Et ipsi vicérunt dra-cónem propter ságuinem Agni, et propter testa-méntum Verbi sui.

5. Beátí* qui lavant stolas suas in ságuine Agni.

Capitulum. Hebr. ix. c

FRatres, Christus assí-stens Póntifex futu-rórum bonórum, per ám-plius et perféctius taber-náculum non manufá-ctum, id est, non hujus creatiōnis : neque per ságuinem hircórum, aut vitulórum, sed per pró-prium ságuinem intro-ívit semel in Sancta, ætérna redemptiōne in-venta.

Hymnus.

Salvéte Christi vúlne-ra,
Imménsi amóris pignora,

Quibus perénnes rívoli
Manant rubéntis sánguini-s.

Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre et bálsama,
Prétio lapillos índicos,
Mellis favos dulcédine.

Per vos patet gratíssi-mum

Nostris asyllum méntibus;
Non huc furor minántium
Unquam penétrat hó-stium.

Quot Jesus in prætório
Flagélla nudus éxcipit!

Quot scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!
Frontem venústam, proh
dolor!

Coróna pungit spínea,
Clavi retúsa cúspide
Pedes manúsque pérfo-rant.

Postquam sed ille trádidit
Amans volénsque spíri-tum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxsi-lit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculári stríngitur,
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil resérvat sánguini-s.

Veníte, quotquot crími-num

Funésta labes íncit :
In hoc salútis bálneo
Qui se lavat, mundábitur.

Summi ad Paréntis déx-
teram
Sedénti habénda est grá-
tia,
Qui nos redémit sán-
guine,
Sanctóque firmat Spíritu.
Amen.

℣. Justificáti in sáanguine
Christi. ℞. Salvi érimus
ab ira per ipsum.

Ad Benedictus, Añã. Erit
sanguis Agni vobis in si-
gnum, dicit Dóminus : et
vidébo sáanguinem, et
transíbo vos, nec erit in
vobis plaga dispérens.

Oratio.

Omnípotens sempitér-
ne Deus, qui unigénitum
Fílium tuum mundi Red-
emptórem constituísti, ac
ejus Sanguine placári vo-
luísti : concéde quæsu-
mus, salútis nostræ pré-
tium solémni cultu ita ven-
erári, atque a præséntis
vitæ malis ejus virtúte de-
féndi in terris, ut fructu
perpétuo lætémur in cæl-
lis. Per eúndem.

Commém. Feriæ. 257.

Ad Primam in ℞. br.
℣. Qui tuo nos sáanguine
redemísti.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, Christus.
ut supra. [403]

℞. br. Redemísti nos Dó-
mine, * In sáanguine tuo.
Redemísti. ℣. Ex omni
tribu, et lingua, et pópulo,
et natióne. In sáanguine.
Glória Patri. Redemísti.
℣. Sanguis Jesu Christi
Fílii Dei. ℞. Emúndat nos
ab omni peccáto.

AD SEXTAM.

Capitulum. Hebr. ix. d

SI sanguis hircórum,
et taurórum, et cinis
vitulæ aspérsus inquiná-
tos sanctificat ad emun-
datiónem carnis : quanto
magis sanguis Christi, qui
per Spíritum sanctum se-
metípsam óbtulit imma-
culátum Deo, emundábit
consciéntiam nostram ab
opéribus mórtuis, ad ser-
viéndum Deo vivénti?

℞. br. Sanguis Jesu Chri-
sti Fílii Dei, * Emúndat
nos. Sanguis. ℣. Ab omni
peccáto. Emúndat nos.
Glória Patri. Sanguis.

℣. Christus diléxit nos.
℞. Et lavit nos in sán-
guine suo.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. ix. e

Accípiens Móyses sán-
guinem vitulórum,
et hircórum cum aqua et
lana coccínea, et hyssó-
po : ipsum quoque li-
brum, et omnem pópulum

aspérsit, dicens : Hic san-
guis testaménti, quod
mandávit ad vos Deus.

℞. br. Christus diléxit
nos, et lavit nos, * In sán-
guine suo. Christus. ℣. Et
fecit nos regnum, et sa-
cerdótes Deo et Patri. In
sáanguine. Glória Patri.
Christus.

℣. Justificáti in sáanguine
Christi. ℞. Salvi érimus
ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in j. Vesp. [395]
sed loco ultimi Psalmi di-
citur Ps. Lauda Jerúsa-
lem. [210]

℣. Te ergo quæsumus,
tuis fámulis súbveni.
℞. Quos pretióso sáangu-
ine redemísti.

Ad Magnif. Añã. Habé-
bitis autem hunc diem in
monuméntum : et celebrá-
bitis eum solémnem Dó-
mino in generatióibus
vestris cultu sempitérno.

Commém. Feriæ. 257.

DOMINICA I. MAII.

B. Mariæ Virginis
divini Pastoris Matris.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añã de Laudibus. [411]
Reliqua ut in Festis B. Ma-
riæ V. per Annum. [208]

℣. Dignáre me laudáre
te, Virgo sacráta, allelúia.
℞. Da mihi virtútem con-
tra hostes tuos, allelúia.

Ad Magnif. Añã. Sicut
pastor gregem suum pa-
scet, in bráchio suo con-
gregábit agnos, et in sinu
suo levábit, allelúia.

Oratio ut in Laud. [411]

Ad Completor. et per Ho-
ras in fine Hymn. dicitur.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM.

Invitat. Sancta María di-
vini Pastóris Mater, * In-
tercéde pro nobis, allelúia.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. Quem terra. [211]

In I. Nocturno.


Añã. Mane surgámus ad
vínas, videámus si fló-
ruit vínea, si flores fructus
partúriunt, ibi dabo tibi
úbera mea, allelúia.

Psalmi Nocturnorum ut
in Festis B. M. V. [211]

℣. Spécie tua et pulchri-
túdine tua, allelúia. ℞. In-
ténde, prospere procéde,
et regna, allelúia.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. viij. et ix.

GO sapiéntia hábi-
to in consílio, et
erudítis intérsu
cogitatióibus. Timor Dó-
mini odit malum : arro-

gántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me diligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretiósó, et gemína mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semítarum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam.

R. Sicut vigilávi super eos, ut evéllerem, et demolírem, et dissipárem, et dispérderem, et afflígerem : * Sic vigilábo super eos, ut ædíficem, et plantem, allelúia. **V.** Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, et in univérso colle excélsó. — Sic.

Lectio ij.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípío. Ab

ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constítierant : ante colles ego parturiébar : Adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos áderam : quando certa lege, et gyro valábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circúmdábat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens : et delectábar per singulos dies, ludens coram eo omni témpore ; ludens in orbe terrárum : et delectábar meæ, esse cum filiis hóminum. Nunc ergo filii audíte me : Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplinam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam.

R. Anima mea desiderávit te in nocte : * Sed et spírítu meo in præcórdiis meis ; de mane vigilábo ad

te, allelúia. **V.** Ego dormio, et cor meum vígilat : vox dilécti mei pulsántis. — Sed.

Lectio iij.

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salutem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídít colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, miscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipientibus locúta est : Venite, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod miscui vobis.

R. Sicut visitat pastor gregem suum in die, * Quando fúerit in médio óvium suárum dissipátarum, allelúia. **V.** Sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis in die nubis, et calígínis. — Quando. **Gloria Patri.** Quando.

In II. Nocturno.

Añá. Salvábo gregem meum, et non erit ultra in rapínam, allelúia.

V. Adjuvábít eam Deus vultu suo, allelúia. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúia.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio ív.

Ex Serm. in cap. xij. Apoc. ante med.



Amplectámur Mariæ vestigia, fratres mei, et devotíssima supplicatióne beátis illius pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem et áream, múlier inter solem et lunam, María inter Christum et Ecclesiám constitúta. Sed forte miráris non tam vellus opértum rore, quam amíctam sole mulierem. Magna síquidem familiáritas, sed mira omnino vicínitas solis, et mulieris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre tam fráglilis natúra subsistit? Mérito quidem admiráris Móyses sancte, et curiósius desideras intuéri. Verúmtamen solve cal-

ceaménta de pédibus tuis, et involúera pone carnálium cogitátionum, si accédere concupíscis.

R. Super omnem faciém terræ dispérsi sunt greges mei et non erat qui requíreret : * Ecce ego requíram oves meas, et visitábo eas, allelúia. **V.** Custodívit illas ab inimícis, et a seductóribus tutávit illas. — Ecce.

Lectio ii.

**Ejusdem in Assumptione
B. M. V. in fine.**

JAM te Mater misericórdiæ, per ipsum sinceríssimæ tuæ mentis afféctum, tuis jacens provolúta pédibus luna, id est Ecclésia, mediatricem sibi apud solem justítiæ constitútam, devótis supplicatióibus interpéllat, ut in lúmine tuo vídeat lumen, et solis grátiam tuo mereátur obténtu, quam vere amávit præ omnibus, et ornávit, stolam glóriæ induens, et coronam pulchritúdinis ponens in cápite tuo. Plena es gratiárum, plena rore cœlesti, innixa super diléctum, delíciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos Dómina, ipsi quoque catélli demícis edant, nec púero Abrahæ

tantum, sed et camélis potum tribuas de superflúenti hydria tua.

R. Custodívit nos in omni via, per quam ambulávimus : * Et in cunctis pópulis per quos transívimus, allelúia. **V.** Posuérunt me custódem in véneis. — Et in cunctis.

Sermo sancti Augustíni
Epíscopi.

Lectio iii.

Serm. xxviii. de SS. in med.

O Beáta María áccipe quascúmque éxviles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiões, et cum suscepéris vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídoto reconciliatiónis. Sit per te excusábile quod per te íngérimus, fiat ímpetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offerímus, redóna quod rogámus, excúsa quod tímemus : quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te beatíssima nostrórum est exspectatió præmiórum. Accipe ínsuper obséquium famulórum tuórum, in hac regióne

degéntium, qui in multis, magnisque perículis a te adjúti, in grati ánimi arguméntum, et in memóriam beneficiórum defensiónis, et protectiόnis, a Pio séptimo Pontífice máximo in tui honórem festivitátem hanc sub título divíni Pastóris Matris consecúti sunt, ut fidéles omnes te custódem vigilantem, ac cœlestia pábula suppeditántem cognóscant, ínocent, et reveréantur.

R. Sub umbra illius, quem desideráveram sedí : * Et fructus ejus dulcis gútturi meo, allelúia. **V.** Quid vidébis in Sunamíte, nisi chorostrórum? — Et fructus. Glória Patri. Et fructus.

In III. Nocturno.

Aña. Favus distíllans lábia tua, mel, et lac sub lingua tua, allelúia.

V. Elégit eam Deus, et prælégit eam, allelúia.

R. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

Lectio sancti Evangéllii
secúndum Joánnem.

Lectio iiiij. Cap. xix. e

IN illo témpore : Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris

ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et reliqua.

Homília beáti Petri
Damiáni.

**Ex Serm. j. in Nativit.
B. M. V. in fine.**



Irgo Dei Génitrix,
cujus pulchritúdi-

nem sol, et luna mirántur, súbveni Dómina clamántibus ad te júgiter : revértere, revértere, Sunamítis, revértere, revértere, ut íntueámur te. Tu benedícta, et super benedícta, revértere primo per natúram. Numquid quia ita deificáta, ídeo nostræ humanitátis oblíta es? Nequáquam Dómina : scis in quo discrímíne nos relíqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui : non enim cónvenit tantæ misericórdiæ, tantam miseriam oblivísci, quia etsi súbtrahit glória, révocat natúra : non enim ita memoráris justítiæ Dei solíus, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es ímpassíbilis, ut non sis compassíbilis. Natúram nostram habes, non áliam, et justum est, ut de rore tantæ pietátis diffúsius ífundámur.

R. Diléctus meus mihi,

et ego illi, qui pascitur inter lilia : * Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, allelúia. *℟.* Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. — Donec.

Lectio viij.

Revértere secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cœlo, et in terra. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accédís enim ante illum áureum humanæ reconciliatiónis altáre non solum rogans, sed impérans, Dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat; quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debes. Potéstati enim cedit ad glóriam, injúrias ulcisci nolle, cum possit. Revértere tertio per amórem. Scio Dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincibili, quos in te, et per te Fílius tuus, et Deus tuus summa dilectiône diléxit. Quis scit quóties refrígeres iram júdicis, cum

justítiæ virtus a præséntia deitátis egréditur.

℟. Congregábo oves de terris, et indúcam eas in terram suam : * Et pascam eas in móntibus Israel : * In rivis, et in cunctis sédibus terræ, allelúia. *℟.* Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciem. — Et pascam. Glória Patri. In vivis.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ; alias :

Lectio ix.

Revértere quarto per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia concéditur. Absit, ut cesset manus tua, cum occasiõem quæras salvándi miseros, et misericórdiam effundéndi; neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam justificáti, ad glóriam assumúntur. Revértere ergo Sunamítis, idest, despécta, cujus ánimam pertransívit gládus, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur. Summa glória est post Deum te vidére, adhærere tibi, et in tuæ protectióis munimine demorári. Audi nos, nam et

Fílius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in sæcula sæculórum.

Te Deum. 20.

*AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.*

1. Sonet vox tua * in auribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra, allelúia.

2. Diléctus meus * descendit in hortum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat, allelúia.

3. Veni dilécte mi, * egrediamur in agrum, commoremur in villis, allelúia.

4. Fons hortórum, * puteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúia.

5. In portis nostris * omnia poma, nova, et vétera, dilécte mi, servávi tibi, allelúia.

Capit. Ab iníitio. et Hymnus. O gloriósa. [223]

℟. Pulchra es, et decóra fília Jerúsalem, allelúia.

℟. Terríbilis ut castrórum ácies ordináta, allelúia.

Ad Bened. Añæ. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagári incípíam post greges sodálium tuórum, allelúia.

Oratio.

Deus qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis, atque gubérnas : præsta nobis famulis tuis; ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœlestem pátriam securi perducámur. Per Dóminum.

AD HORAS.

Añæ sumuntur ex Laud. ut supra. Capitula et ℟. ut in Festis B. M. V. [223]

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laud. Reliqua ut in Festis B. M. V. [208]

℟. Per te salutem hauriámus Virgo María, allelúia. *℟.* Ex caritáte et passióne Christi Fílii tui, allelúia.

Ad Magnif. Añæ. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua, allelúia.

